

264. — *R. ad 4^m Quæ.* Seu an altera Missa ab eodem Sacerdote celebrari possit, eadem die, absque licentia Episcopi? Sane id fieri potest aliquando ex gravissima et urgente causa, ut ex Jure canonico eruitur. *D. Bouix* concludit, esse rationem sufficientem iterationis Missæ, etiam in eadem Ecclesia, si secus magna pars populi Missa carere debeat. Porro, in Jure canonico, trecenti homines reputantur magna pars populi (*De Parocho*, p. 464 et seq.). Etsi vero ad illam iterationem requiratur, regulariter loquendo, licentia Episcopi, attamen, ait idem *Bouix*: « in uno aut altero casu, præsertim repentino, et in quo non facile pateat aditus ad Episcopum, si aliunde certe adesse videatur sufficiens necessitas a jure requisita, non puto crimini vertendum Parocho, quod dictam licentiam non requirat. » *Ibid.* p. 467.

265. — *R. ad 5^m Quæ.* FLORIBERTUS non videtur culpandus, ad rigorem loquendo, in primo casu, juxta plures et graves Auctores, licet multo plures dissentiant. Sed debuit saltem expectare, antequam ciborium transferret, donec utraque consecratio perficeretur, et etiam diutius, secluso gravissimo incommodo. Omnino autem damnandus in secundo casu, ut patet ex dictis. In tertio autem casu, ei indulgendum esse videtur.

CASUS VI.

MINISTER EUCHARISTIÆ 1^o.

VALESIVS, Parochus, graviter ægotans, cum non adesset alius Sacerdos, adrexit ad Ecclesiam, et sibimetipsi præbet Viaticum. Interea advenit nuntius, referens GERVASIVUM parochianum morti esse proximum, et enixe sacrum Viaticum postulare. Ingemuit Pastor, non valens ipsemet moribundi votis satisfacere, ne tamen absque Viatico ille periret, Ludimagistro mandavit ut sui loco hoc munere fungeretur.

HINC :

QUER. 1^o *Qualis sit Minister Eucharistiæ distribuendæ?*

2^o *An VALESIVS potuerit Viaticum sibi ministrare? Quid, si præsens fuisset Diaconus?*

3^o *An Ludimagistrum committere potuerit?*

SOLUTIO :

266. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Minister administrationis Eucharistiæ ordinarius, est solus Sacerdos. Diaconus vi suæ ordinationis est Minister extraordinarius, sed ex praxi actuali Ecclesiæ Diaconus Eucharistiam ministrare tantum potest in extrema necessitate, et probabilius etiam in necessitate gravi, ex Episcopi vel Parochi delegatione. *S. Lig. n. 237, et Hom. ap. n. 9.*

2^o *De jure ordinario* solus Parochus, vel ejus adjutor, aut Sacerdos ab ipso delegatus, Eucharistiam ministrare potest, quia est actus jurisdictionis. Constat ex variis Conciliis. Attamen omnis Sacerdos habens facultatem in aliqua Ecclesia celebrandi, fidelibus Communionem in Missa

petentibus ministrare potest, quia est implicite delegatus. Insuper ex praxi communi constat.

267. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o VALESIVS certo potuit seipsum communicare, deficiente alio Ministro a quo Eucharistiam accipere posset, in gravissima necessitate, seu in mortis periculo. Imo probabiliter potuit seipsum communicare extra mortis periculum, præciso scandalo, si in longo morbo a multo tempore non communicaverit. *S. Lig. n. 238.*

2^o Si Diaconus præsens fuerit, VALESIVS seipsum communicare non potuit, quia, cum Diaconus sit minister extraordinarius Eucharistiæ distribuendæ, et urgente necessitate, vel etiam causa gravi, cum delegatione eam ministrare valeat, jam non fuisset necessitas pro VALESIO seipsum communicandi, siquidem alius Sacramenti Minister non defuisset.

268. — *R. ad 3^m Quæ.* An vero Parochus Ludimagistrum committere potuerit ad Viatici administrationem, prout in casu? *Controvertitur. Negat S. Thomas cum Lugo, Voit, n. 300, et aliis multis; quia hoc est contra consuetudinem Ecclesiæ, tum quia Sacramentum illud non est tantæ necessitatis ad salutem, tum quia administratio Eucharistiæ a laico facta magnam admirationem et scandalum apud populum induceret. Affirmant autem plures graves Theologi cum Suarez, — Layman, etc. Hanc sententiam approbare videtur S. Lig. n. 237. Prima sententia, præsertim nostris temporibus, omnino servanda est. Ratio est, quia reapse consuetudo Ecclesiæ in hoc invocari nequit. Porro in re tanti momenti expedit ut nihil fiat, nisi Ecclesiæ praxi probetur. Præstat igitur ut moribundus absque Viatico decedat, quam si hoc a laico administraretur. Ita Goussset (1).*

CASUS VII.

MINISTER EUCHARISTIÆ 2^o.

GALDINUS, Sacerdos, requisitus ut moribundo sacrum Viaticum porrigeret, se ocius accinxit ut ejus votis satisfaceret. Sed aberat ædituus, sacristiæ clavim secum deferens. Curavit quidem GALDINUS ut quamprimum accerseretur; sed, eo longam protrahente moram, cum timeret Sacerdos ne æger deficeret quin sacra Eucharistia reficeretur, assumpta sacra Hostia, sine stola, sine superpelliceo, imo etiam sine lumine ad infirmum cucurrit, eique sacrum Viaticum ministravit.

HINC :

QUER. 1^o *Qualis ritus sub gravi requiratur in Eucharistia distribuenda?*

2^o *An GALDINUS licite egerit?*

(1) « Comme on ne peut guère invoquer la pratique de l'Eglise en faveur de ce sentiment, nous pensons qu'il vaut mieux laisser mourir le malade sans la Communion, que de la lui administrer d'une manière qui pourrait compromettre aux yeux des fidèles le respect qui est dû au plus digne et au plus saint de tous les Sacraments. » *Goussset, n. 203.*

SOLUTIO :

269. — *R. ad 1^m Quæ.* Eucharistia non est generatim ministranda, nisi cum superpelliceo, stola et lumine. Peccaret graviter, juxta communem sententiam, ille qui præter casum necessitatis Eucharistiam distribueret sine ulla veste sacra; quia est valte indecens, et contra præceptum grave Ecclesiæ. Attamen si stola deficeret, vel lumen, *probabiliter* hoc veniale non excederet, et in necessitate nullum esset peccatum. *S. Lig. n. 241.*

R. ad 2^m Quæ. GALDINUS omnino licite et laudabiliter egit. Zelus igitur ejus nedum vituperandus sit, contra, valde commendandus est. Licet enim graviter illicitum sit Eucharistiam ministrare sine ulla veste sacra, extra casum necessitatis, attamen, cum Sacramenta sint ad animarum salutem instituta, rationabiliter præsumitur neque Christum, neque Ecclesiam voluisse obligare ad servandas prædictas cæremonias in casu ubi urget gravissima necessitas, seu in vitæ periculo. *Elbel, n. 63. — Lacroix, l. 6, n. 488.* In casu autem ubi Sacerdos, propter instantem necessitatem, defert Eucharistiam sine stola et sine superpelliceo, consultius videtur ut procedat etiam sine lumine et tintinnabulo, ne populi admirationem provocet.

CASUS VIII.

MINISTER EUCHARISTIÆ 3^o.

NICAON, Sacerdos, in pluribus incuriosum se præbet circa ritum in Eucharistia ministranda servandum. Hinc: 1^o Communionem ministrat, uno solo cereo accenso, et omissa oratione *Confiteor*, aut etiam muliere hanc orationem recitante.

2^o Aliquando, cum devenit ad altare, advertit se stolam induere oblitum fuisse; nec tamen revertitur ad eam accipiendam, aut non curat ut ad se ab alio deferatur.

3^o Chiragra laborans, nec indice uti valens, ad Communionem distribuendam, Hostias inter pollicem et digitum medium accipit et porrigit.

4^o Defert quandoque SS. Eucharistiam clanculum sub vestibus, aut nocte, sine campanula et lumine, ad personas pias diurna infirmitate detentas, ne attentionem aut admirationem apud plebem excitet.

5^o Aliquando etiam, sive casu, sive festinatione nimia, Hostia ab ejus manu delapsa cadit in terram, in sacra ornamenta, in laicorum vestes, aut in mappam communicantium; nec ipse de loco signando, et postea abluendo, curam habet.

HINC :

QUÆR. 1^o *An, vel quomodo NICAON in singulis peccaverit?*

2^o *An, vel quatenus Communio extra Missam distribui possit?*

3^o *Qua hora Communio dispensari valeat?*

SOLUTIO :

270. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Peccat venialiter NICAON ministrando Eu-

charistiam cum uno solo cereo accenso, quia, licet unicum lumen sufficiat ad SS. Sacramentum de loco in locum transportandum, duplex tamen requiritur ad Eucharistiam ministrandam. Si tamen ratio aliqua urgeret, nec facile duæ candelæ statim accendi possent, una sola sufficeret. *Ita communiter.* Peccat quoque venialiter omittendo orationem *Confiteor*, quia Rubricas in re levi prætermittit. Non est conveniens ut mulierem adhibeat ad orationem hanc recitandam, cum consuetudo Ecclesiæ id tantum Monialibus permittat. Attamen, cum nulla prohibitio specialis scripta circa hæc inveniatur, non videtur de ullo peccato arguendus Sacerdos, qui mulieri, in loco remoto stanti, prædictam orationem recitandam committeret.

2^o Peccat venialiter ministrando Eucharistiam sine stola, si possit facile eam accipere, vel ab alio requirere. Secus, si id facile fieri non possit, v. g. si sacrarium sit clausum, et expectandum esset ad clavem quærendam, etc.

3^o Non licet ministrare Eucharistiam aliis digitis præter pollicem et indicem, qui ad hoc sunt specialiter consecrati et ex ritu Ecclesiæ deputati. Excipe tamen casum necessitatis, nempe, si Viaticum moribundo ministrandum sit. *Ita communiter. S. Lig. n. 244, et l. 7, n. 408.* — Cum autem de prohibitione in re gravi agatur, NICAON, *per se*, graviter peccasse videtur.

4^o Peccat graviter Eucharistiam occulte ad ægros deferendo, nisi Episcopus permiserit, vel ita ferat loci consuetudo, ut fieri solet in regionibus hæreticorum, etc. Ratio est, quia agit in re gravi contra ritum ab Ecclesia præscriptum.

5^o Venialiter peccat omittendo quod Rubricæ præscribunt ad locum signandum et abluendum, quando Hostia ab ejus manibus decidit, sive in terram, sive in mappam, etc., nisi commode vel convenienter quod Rubricæ præscribunt servari non possit. *S. Lig. n. 250. — V. Comp. n. 296.*

271. — *R. ad 2^m Quæ.* Præstat, quantum facile fieri potest, Communionem distribuere in ipsa Missa post Sacerdotis Communionem. Sic ex *Rit. Rom.* Attamen ex usu recepto potest facile dari Communio ante vel post Missam et etiam alio tempore matutino, posita aliqua justa causa, v. g. si deficient Missæ, si communicantes non possint facile expectare, etc. Imo, juxta *Billuart et alios*, nunc non existit amplius grave præceptum Eucharistiam intra missam tantum distribuendi, ob hodiernam consuetudinem. *V. Comp. n. 298.*

272. — *R. ad 3^m Quæ.* Hodie Eucharistia regulariter ministrari debet horis quibus Missam celebrare licet, sive ex consuetudine, sive ex peculiari Indulto. — At *communiter* cum *S. Lig.* docetur *posse* ministrari qualibet hora diei nisi sub noctem, seu in extrema diei parte. Ratio est, quia de hac re nulla exstat prohibitio. (*S. Lig. lib. 6, n. 259.*) — Nec obstat Decretum S. C. Rit., datum mense Dec. 1816, permittens administrationem Communionis a tempore ad tempus quo in qualibet Ecclesia Missæ celebrantur *in die magni concursus*. Decretum enim illud non est exclusivum, cum S. C. responsum dederit juxta postulatum in quo age-

batur præcise de die *magni concursus, ad Indulgentiam plenariam vel Jubilæum lucrandum.*

CASUS IX.

QUID DE REPERTIS PARTICULIS?

1° EUPHEMIUS, Sacerdos, Missa jam perfecta, antequam discedat, advertit exiguam particulam Hostiæ superesse in altari; hanc sumit, licet ablutiones jam acceperit. — Idem præstat alia vice, cum redux in sacrarium, depositis ornamentis sacerdotalibus, admonitus fuisset particulam superesse in altari; statim enim, superpelliceo et Stola indutus, recta perrexit ad altare ad particulam colligendam et sumendam. — Alias autem, etiam admonitus repertam fuisse particulam prope altare, primum dubitat an eam possit sumere, etiam non jejunos. Statuit dein eam in ciborium reponere; tandem illam in piscinam immittit.

2° EULALIA, Monialis, sacrarii custos, dum die quadam altare adornaret, Hostiam minorem in eo repositam conspexit. Obstupet primum, ingemiscens; subinde quantocius Capellanum accersit. Mox adstat ille, sed hæret anceps nesciens utrum Hostia hæc consecrata sit, necne. Inito secum consilio, statuit Hostiam hanc in piscinam deponere. — Alias autem, EULALIA particulam valde exiguam etiam in altari reperit. Hac autem vice in auxilium advocare nequit Capellanum, quippe qui longe abest. Quid igitur faciet Sanctimonialis? Cum adhuc sit jejuna, particulam reverenter manu accipit, et ore absunit.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid agendum sit de Hostiis, aut fragmentis, in altari aut extra altare repertis?*

2° *Quid de agendi ratione EUPHEMII?*

3° *Quid de Capellano et de Moniali in secundo casu?*

SOLUTIO :

273. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° Si Sacerdos inveniat fragmenta Hostiæ pertinentia ad suum præsens Sacrificium, ea sumere debet, etiam post ablutiones, sive parva, sive magna sint. *Rubr. Miss.* — Imo hoc tenendum, etiamsi Sacerdos jam sit redux in Sacristiam, indutus tamen adhuc vestibus sacris. *S. Lig. n. 251.* Si vero vestibus sacris jam exutus sit, ea asservet in tabernaculo, vel in loco decenti, si tabernaculum deficiat. — 2° Si fragmenta pertineant ad aliam Missam, non sunt sumenda, nisi quando in loco decenti reponi nequeunt. *S. Lig. ibid.* — 3° Si laicus fragmenta inveniat, moneat primum Sacerdotem, si quis prope sit, vel eum accersat, si fieri possit. Sacerdos autem aget ut modo in secundo loco dictum est. — 4° Tandem, deficiente Sacerdote, laicus fragmenta reverenter accepta reponat in corporali vel in linteolo mundo, aut in vase decenti, donec Sacerdos advenerit. *V. Comp. n. 312.*

274. — *R. ad 2^m Quæst.* EUPHEMIUS in primo casu recte egit particulam repertam sumendo, etiam post ablutiones, si putaverit eam pertinere ad

suum Sacrificium; secus male fecit, ut supra diximus. In secundo casu male fecit, ut patet ex dictis. In tertio casu etiam male egit. Etenim, si Hostia certo præsumatur consecrata, reponenda est cum aliis in ciborio; si dubie consecrata appareat, Sacerdos eam seponat, et in Missa sequenti consecret, vel sumat eam ante ablutiones. *V. Comp. n. 313.*

275. — *R. ad 3^m Quæst.* 1° Capellanus male fecit; debuisset enim agere ut modo dictum est de Hostia dubie consecrata. *V. Comp. n. 313.* 2° Monialis male fecit; debebat hanc particulam asservare in loco decenti, dummodo id facere potuerit sine periculo irreverentiæ erga SS. Eucharistiam.

CASUS X.

EUCHARISTIÆ SUBJECTUM.

1° AMANS, Parochus, inter parochianos numerat semifatuum unum; alterum, amentem, sed quædam intervalla lucida habentem; tertium, energumenum; quartum, surdum et mutum. Omnes autem a sacra Mensa in vita et in morte excludit.

2° AMATUS, etiam Parochus, renuit Eucharistiam puero septenni moribundo, rationis usu et discretione certo gaudenti, ex eo quod ad ætatem qua pueri ad sacram Mensam admittuntur non pervenerit. AMABILIS autem, alius Parochus, contra, Eucharistiam defert alteri puero sexenni, vel septenni, etiam moribundo, licet nesciat utrum ille panem hunc celestem ab alio cibo satis discernat.

HINC :

QUÆR. 1° *An AMANS, in primo casu, potuerit vel debuerit aliquando hos miseros parochianos ad Communionem admittere?*

2° *Quid de agendi ratione AMATI et AMABILIS, in secundo casu?*

SOLUTIO :

276. — *R. ad 1^m Quæst.* AMANS erravit præfatos parochianos sacra Eucharistia privando in morte. Omnes enim potuerunt Communionem refici, secluso irreverentiæ periculo; siquidem in praxi Ecclesiæ ab ea excluduntur tantum pueri qui nondum usum rationis adepti sunt, et perpetuo amentes. Imo interdum in vita prædictis fidelibus Sacramentum Eucharistiæ conferri potest, si instructione et discretione sufficienti gaudere videantur. Si surdus et mutus sit instructus, sicut cæteri fideles ad Communionem admitti potest. Semifatui qui videntur sufficientem habere discretionem, in articulo mortis, et urgente præcepto, etiam communicare possunt. *S. Lig. n. 302 et seq. Reuter, n. 170. — V. Comp. n. 320 et seq.*

277. — *R. ad 2^m Quæst.* Graviter erravit AMATUS prædicto puero Eucharistiam negando in morte, cum supponitur sufficientem habere discretionem. Tenebatur sub gravi eum sacro Viatico munire. *S. Lig. n. 301. — Gousset, n. 233.* AMABILIS autem, juxta de Lugo, *D. 13, n. 43,*

potuit quidem dare Communionem in præfato casu, quia nullibi hoc prohibitum est, cum puer ille non esset certo incapax; sed non tenebatur eam ministrare, quia de obligatione in hac hypothesis non constat. Alii dicunt Sacramentum in simili casu non esse ministrandum.

CASUS XI.

ADMISSIO AD PRIMAM COMMUNIONEM.

AUGUSTUS, puer duodecim annos natus, in domo paterna a privato præceptore educatus, et rudimentis doctrinæ Christianæ rite imbutus, peracta confessione receptaque absolutione, absque Parochi examine et facultate, sed permittente Confessario, ex suasionem matris, pro prima vice sacræ Mensæ cum aliis communicaturis assistit. A Parocho autem Communio ei denegatur.

HINC :

QUÆR. 1^o *An examen et admissio proprii Parochi requirantur ad primam communionem?*

2^o *Quid de pueris extra parochiam degentibus, vel in collegiis, aut conventibus educatis?*

3^o *An recte egerit Parochus?*

SOLUTIO :

278. — *R. ad 1^m Quæs.* 1^o Quoad ætatem et animæ dispositionem, spectat ad parentes et Confessarium rem dirimere. *Sic Catechismus Romanus, part. 2, c. 4, n. 67*, ubi dicitur: « Qua vero ætate pueris sacra « Mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit quam pater et Sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad illos pertinet explorare, et a pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam « acceperint, et gustum habeant. »

2^o Quoad examen, de jure communi nihil particulare statuitur. Spectat igitur ad Confessarium attendere utrum puer habeat sufficientem doctrinam. De jure autem particulari in aliquibus locis ab Episcopo statuto, et in plerisque Galliæ diocesis vigente, pueri ad primam Communionem admittendi, ab ipso Parocho, vel ejus delegatis, de doctrina et judicii maturitate examinari debent (1).

279. — *R. ad 2^m Quæs.* Ne de jure particulari quidem examen et admissio Parochi requiruntur, si pueri ab aliquo tempore degant extra parochiam, et ibi communicaturi sint; vel si in collegio, aut apud Religiosos vel Moniales versentur, et, approbante Episcopo, prima Communio ibi locum habeat. *Gousset.*

280. — *R. ad 3^m Quæs.* 1^o Parochus male egit, puerum ad Commu-

(1) Juxta nonnullos, examen et admissio puerorum ad primam Communionem de jure communi pertinent ad Parochum. Id eruunt ex *Const. Bened. XIV, Etsi minime*, 7 Feb. 1744, § 4. Sed ibi statuit Pontifex quod spectat tantum ad pueros qui a parentibus Parocho præsentantur.

nionem non admittendo ubicumque, juxta jus commune Ecclesiæ, pueri ad primam Communionem accedunt cum sola proprii Confessarii licentia.

2^o Parochus etiam male egit, ubi, juxta consuetudinem fere ubique in Gallia, quam sponte sua Episcopi statuerunt, vigentem, pueri subjacent Parochorum jurisdictioni pro admissione ad primam Communionem: saltem *per se*, nisi eæ sint circumstantiæ ex quibus hujusmodi repulsa nullum famæ detrimentum in pueros inducat. Nonnisi enim ex gravissimis causis publice deneganda sunt Sacramenta.

CASUS XII.

DISPOSITIO ANIMÆ.

Ad Communionem 1^o.

1^o SANCTINUS, Sacerdos, vir timoratæ conscientiæ, sæpe Missæ celebrationem omittit, absente Confessario, in dubio an pravis suggestionibus adhæserit.

2^o ELIGIUS, alius Sacerdos, faciliori conscientia instructus, in probabilitate pravi consensus, recta pergat ad altare, innixus in probabili defectu pleni consensus.

3^o CORNELIUS, etiam Sacerdos, dum Missam privatim celebrat, recordatur peccati mortalis ab ultima confessione commissi. Cum autem Confessarii copia careat, hæret anceps; sed mox Sacrum perficere decernit, elicit tamen actu contritionis. Die sequenti, etiam, prætermissa confessione, celebrat.

HINC :

QUÆR. 1^o *An liceat celebrare, vel communicare cum dubio aut probabilitate peccati mortalis, commissi, vel non commissi?*

2^o *An liceat celebrare in mortali præmissa contritione, si Confessarii copia desit?*

3^o *Quid ad casus propositos?*

SOLUTIO :

281. — *R. ad 1^m Quæs.* Si dubium sit practicum, debet excuti, vel confessio præmittenda est, quia non licet omittere præceptum adeo grave, conscientia non efformata. Si probabilis sit status gratiæ, ad rigorem loquendo, non urget obligatio confessionis, neque ad celebrandum, neque ad communicandum. Ratio est, quia *Conc. Trid.* requirit tantum confessionem ante Communionem pro iis qui sunt conscii peccati mortalis. Attamen enixe in hoc casu confessio suadenda est. *S. Lig. n. 475.*

282. — *R. ad 2^m Quæs.* *Affirm.* in casu necessitatis, v. g. si Missæ celebratio remitti nequeat absque gravi incommodo populi qui Sacro interesse debet, vel absque gravi periculo infamiæ ipsius Sacerdotis. Tunc enim præceptum probationis per confessionem præmittendæ cessare cense-

tur, et sufficit probatio per contritionem perfectam. *V. S. Lig. n. 256 et seq.*

283. — *R. ad 3^m Quæ.* In primo casu induendus est SANCTINUS ad celebrationem Missæ non omittendam, quia non solum non constat eum graviter deliquisse, sed omnino præsumendum est nullum dedisse consensum pravis diaboli suggestionibus, cum a peccato generatim abhorrere videatur, utpote timoratæ conscientiæ.

In secundo casu, timendum est ne ELIGIUS ausu temeratio in mortali celebret, fucum sibi faciendo, seu facilius in sui favorem præsumendo, cum sit facilioris conscientiæ, nec videatur adeo a peccato abhorrere. ELIGIUS igitur a periculo hallucinationis sedulo caveat.

In tertio casu, CORNELIUS recte egit Missam inceptam proseguendo, actu contritionis elicitō de peccato memoriæ occurrente; sed non debuit Missam die sequenti celebrare, omitta confessione, nisi, deficiente Confessario, adfuerit celebrandi necessitas.

CASUS XIII.

DISPOSITIO ANIMÆ 2^o.

NABORIUS, Sacerdos, peracta confessione, recordatur se peccatum lethale inculpabiliter inter confitendum omisisse. Sed, cum proprius Confessarius ad plures dies discessisset, et magnæ difficultati ipsi esset suam apud alium conscientiam prodere, Missam celebravit, nullo præmisso contritionis actu. Illud autem peccatum post octo dies aperuit, quando apud Confessarium ordinarium exomologesim suam de more instituit. Alias in aliud peccatum grave incidit, et quidem reservatum. Urgebat celebrandi necessitas, erat enim dies festus solemnus, et, si Missam omisisset, grave scandalum apud fideles oriturum fuisset. Sed non aderat præsens nisi simplex Sacerdos, qui nulla potestate super peccata reservata pollebat. Statuit primum NABORIUS hunc adire et apud ipsum confiteri, celato tamen peccato reservato; sed, cum nullo alio peccato gravi inquinaretur, existimavit se ad id non teneri. Quapropter, præmisso contritionis actu, ad altare accessit, Sacrum facturum.

HINC :

QUÆR. 1^o An NABORIUS obligatus fuerit quamprimum confiteri, seu an graviter peccaverit Confessarium expectando, et confessionem ad octo dies differendo?

2^o An peccaverit nullum actum contritionis ante Sacrum eliciendo?

3^o An potuerit, in secundo casu, Missam absque confessione celebrare; vel, an confitendo potuisset peccatum reservatum omittere?

SOLUTIO :

284. — *R. ad 1^m Quæ.* Nego, saltem probabilius. Ratio est, quia NABORIUS non celebravit Missam, omitta confessione; reapse enim confes-

sus est, seu præmisit probationem a *Conc. Trid.* requisitam, et peccatum omissum fuit vere deletum, licet indirecte tantum. *S. Lig. n. 257*, et alii præsertim recentiores, contra veteres non paucos. Ergo NABORIUS minime peccavit confessionem differendo, et interea celebrando. *V. Comp. n. 326 et 328.*

285. — *R. ad 2^m Quæ.* Neque peccavit NABORIUS nullum contritionis actum celebrationi Missæ præmittendo, quia non est conscius peccati mortalis, siquidem per confessionem jam probatus est. Peccatum enim ex oblivione omissum non gravat amplius conscientiam, cum *indirecte* jam remissum fuerit.

286. — *R. ad 3^m Quæ.* NABORIUS potuit Missam absque præmissa confessione celebrare, actu perfectæ contritionis emisso, si alia culpa lethali careat. Ratio est, quia ad confessionem non tenetur neque ratione peccati reservati, quod *directe* remitti nequit, neque ratione venialium, quæ non sunt materia confessionis necessaria. *S. Lig. n. 265.* Neque, si voluit confiteri, debuit necessario peccatum reservatum aperire, saltem *probabilius*; quia, ut jam dictum est, peccatum *directe* remitti non potest, et insuper obligatio daretur bis idem peccatum confitendi, scilicet Superiori et inferiori, quod communiter non admittitur. *S. Lig. n. 265, et alii contra aliquos. — V. Comp. n. 577, 578.*

CASUS XIV.

DISPOSITIO ANIMÆ 3^o.*Parochus intricatissimus.*

FLORENTINUS, Parochus, ætate gravis et apud omnes spectabilis, humanam expertus est fragilitatem. Etenim, cacodæmone impellente, in peccatum grave et probrosum secreto labitur. Mox pro ipso urget celebrandi necessitas, quam nullo prætextu declinare potest. Sed alio adhuc premitur infortunio: longe abest ejus Confessarius; solus præsens adstat FLAVIANUS, ejus Vicarius. Sed a pandenda huic conscientia quam maxime abhorret. Est enim FLAVIANUS junior Sacerdos, qui in summam admirationem veniet, si tam putidum peccatum a viro gravi et senescente patratum audiat. Quid exinde fiduciæ et bonæ existimationis in Parochum, animo Vicarii inhærebit? Nonne famam sanctitatis et viri moribus gravis, qua parochiæ Rector apud juniorem Sacerdotem gaudet, amissurus est? His secum perpensis, FLORENTINUS, licet ægerrime, prætermitta confessione, elicitō tamen contritionis actu, ad altare accedit, Agnum immaculatum oblaturus.

HINC :

QUÆR. 1^o An FLORENTINUS, his positis, potuerit Missam celebrare absque præmissa confessione?

2^o Quid de rationibus ab ipso allatis?